AB
154728

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-221625-p0001-6

№ 4118 *

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-221625-p0002-2

4

# PH Hartmann/

us,

ctum.

Artis MedRIS, SERENISSIMI & EXCELSISSIMI PRINCIPIumque Brandenburgicarum Hæredis, vi gratioſiſſidulſit, à me, ad hunc actum conſtituto PROMOTId quod Magnificum DN. PRO-RECTOREM, Amrumque Fautores ſuis nominibus honoratiſſimosditores benevoli adeſſe, Actumque Promotionis

DCCIII.

O.

I. N. J.

# PHILIPPUS JACOBUS Hartmann/

## Phil. ac Med. D. P. P. Tertius Ordinarius,

## Ab Ampliſſima Facultate Medica ad hunc Actum Promotor conſtitutus.

*B. L. S.*

Difficilia quæ pulchra; nihilque eximium ſine magno labore Vita dedit mortalibus; nec ſine periculo facinus ullum factum memorabile: adeò Pulchritudinis comes eſt obtinendi difficultas. Pulcherrima itaque artium Medicina, quippe difficillima. Mithræ ſacris initiandi octoginta experimentis patientiæ in virtutem tentabantur, ut Magi prodirent; Ut Medicus evadas mille ærumnabilia ſubeunda ſunt diſcrimina: ad ignis, ad aëris, ad telluris undæque myſteria, in artis fructum, penetrare contendas, millies ubique periclitari eſt neceſſum. Neque Vulcanus in Deorum, Achillisve armis fabricandis tantos flammarum ſenſit ardores aut æſtus, quantos, qui per ignem Philoſophos agunt, Chymici in nobilioribus medicamentis excoquendis. Magnaq; Dædali fuerint molimina, ut aërem ceratis pennis obſequentem, velisque ventos redderet opportunos; non minores ſunt conatus, quibus Medicorum Filii Junonem Æolumque, vel nolentes, in corporis humani ſalutem conſpirare cogunt. Certant cum Faunis & Sylvanis, per campos, per ſaltus, per nemora, vaga Botanicorum ſtudia, ne quid intactum, ne quid inexpertum relinquant. Necdum ſatis eſt difficultatum, quibuscum Medicina ſuos Cultores committit: Adeunda & Plutonis regna, ex duriſſimis terræ interaneis eruenda metalla, in humani generis incolumitatem & valetudinis reparationem impendenda. Neque Cerberus fervida abſterret ingenia, furiale centum muniant angues caput, Spiritusque teter, ſaniesque manet ore trilingui; Ipſos ſerpentes ſtygiosque liquores ſedulò exquirunt, ut inimiciſſima in Sanitatis præſidium diſponere addiſcant. Quid flumina, quid maria memorem? quicquid in Neptuni regnis latet abditum, ad Medicinæ ſervitium indefeſſi ſcrutatores ex abyſſo adducunt. Quanti eſt hominem noviſſe? In quo cognoſcendo Summa Anatomicorum ingenia etiamnum fatigantur. Quanti eſt, mille modos lethi in morbidorum cadaveribus detexiſſe? Sed multitudinem difficultatum non capit hæc charta; paucis; quà patet Orbis, quæ ardua, quæ aſpera, quæ horrida, quæ formidabilia, hæc omnia ſtrenuo artis alumno adeunda pericula. Tantæ molis quum ſit medicam condere ſcientiam, quodnam faſcinum eſt, quo Seplaſiarius, hiſtrio, tonſor, anus, eâdem facilitate medicinam ubivis gentium venditant & exercent? quibus ut Medici ſint, ſufficit eſſe voluiſſe. Vel malus Sutor, inopiâ deperditus, famam Medici verboſis Strophis ſibi acquirit illicò. Stupor hic eſt Vulgi, cujus ſtultitia quæſtus eſt impudentiæ & imprudentiæ. Optimè Rex apud Phœdrum: *Quantæ putatis eſſe Vos dementiæ*

*Qui capita Veſtra non dubitatis credere,*

*Cui calceandos nemo commiſit pedes:*

addamus; Cui dolium ligandum, Cui veſtes lavandas, Cui barbam radendam, Cui latrinam (ſit venia verbo) purgandam commiſit nemo. Omnes iſtos, famam medicinâ aliquâ aucupatos, vel iſti qui ſupra vulgus ſapere volunt, animas ſuas negotiari facilè ſinunt. Sed ferat Vulgus dementiæ pretium, nominis Medici gloriæ non officiet, quod iſtud indigniſſimis impertiatur; non magis, quàm ſi clara Herculis aut Alexandri nomina flagitiis gentis humanæ, Sardanapalis ac Heliogabalis imponantur. Aliarumq; Artium eadem ſunt fata, ut in ipſis conditione inſidioſiſſimâ, auctoritatem peſſimis boni faciant. Æqui rerum Arbitri ſatis perſpiciunt, quot adire labores Artis filios oporteat; Neque ipſis ſegnibus eſſe aut otioſis licebit unquam, ſi optatam metam contingere amant. Id quod etiam cordi fuit Bigæ Virorum Nobiliſſimorum & Clariſſimorum DN. CHRISTIANO FRIDERICO KROKISIO, Straleſundâ-Pomerano, Phyſico Mariæburgi, Urbis rerum ab Ordine Teutonico geſtarum famâ notiſſimæ; & DN. CAROLO JACOBO Röſer/ Quedlinburgo Saxoni, per plura luſtra ſedulo Muſarum ſectatori. Benè hi educati & educti à teneris, facem Vitâ Parentum præferente, quos Sacri Ordinis in Patria Præſules ſors utrique eſt elargita, nullis laborum moleſtiis exterriti, nullis lucubrationum tædiis exhauſti, non per fraudum ac lenociniorum machinamenta, ſed per Virtutis & Induſtriæ merita ad faſtigium Artis evecti Templum Honoris demum ſalutare decreverunt. Quibus Modeſtiæ decoris Facultas Medica impulſa, Ipſos ſpe ſuâ excidere noluit, dignosque habuit, quibus ad petendos, tentatis, moxque, per horas pluſculas utriusque diei, examinum rigore, in Theoria & Praxi, approbatis profectibus ad impetrandos honores pateret aditus. Lectionibus itaque de Capitis Affectibus à DN. KROKISIO, ac de Phantaſia morborum cauſa & medicina à DN. Röſer formatis, Statâque horâ, per tres dies, præſentibus Magnificis Dominis PRORECTORIBUS, Excellentiſſimisque Dominis Profeſſoribus, cum ſpectatiſſimâ Studioſorum coronâ, recitatis, Illuſtris Auditorii ſuffragia promeriti, denuò in publicum producendi veniunt, ut conſtet, Ipſos non ſibi ſolis domi ex libris ſapere, ſed & inſtructos eſſe, qui ægrotorum & adſtantium dubia ſolvere, Medicaſtrorumque Sophiſmata refellere valeant, ut illibatam artis gloriam tutentur. In fidem hujus ſuæ peritiæ DN. KROKISIUS de Cephalalgia habituali cum Vertigine; DN. Röſer de Epiphora argumentum DISPUTATIONE INAUGURALI ventilandum offerent: Dies huic Agoni deſtinati erunt XVI. & XVIII. Octobris, horis ante & pomeridianis in Auditorio Majori. Celebrato Agone poſterioris diei XVIII. ambobus, quos probitas & induſtria meruit, Summi Artis Medicæ Honores deferentur, auſpicioque auſpicatiſſimo MAGNIFICENTISSIMI RECTORIS, SERENISSIMI & EXCELSISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI DN. FRIDERICI WILHELMI, Regni Pruſſiæ & Electoratus, Provinciarumque Brandenburgicarum Hæredis, vi gratioſiſſimi Privilegii quod AUGUSTISSIMUS ac SERENISSIMUS REX NOSTER Facultati indulſit, à me, ad hunc actum conſtituto PROMOTORE, DOCTORES MEDICINÆ proclamabuntur. Sed enim Victoria amat teſtes; Id quod Magnificum DN. PRO-RECTOREM, Ampliſſimum Academiæ Senatum, Facultatumque omnium Profeſſores & Doctores, Literarumque Fautores ſuis nominibus honoratiſſimos, ſolicito, atque humaniſſimè invito, iſtis Certaminum Inauguralium ſolennitatibus Auditores benevoli adeſſe, Actumque Promotionis ſuâ præſentia exornare non graventur.

P. P. REGIOMONTI DOMINICA XIX. TRINIT. AN. MDCCIII.

PRÆLO REUSNERIANO.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-221625-p0004-3

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-221625-p0005-9

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-221625-p0006-4

154728

X 2420997

R 1077

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-221625-p0007-0

№ 41
№ 41

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-221625-p0008-5

I. N. J.

# PHILIPPUS JACOBUS Hartmann/

## Phil. ac Med. D. P. P. Tertius Ordinarius,

### Ab Ampliſſima Facultate Medica ad hunc Actum. Promotor conſtitutus.

*B. L. S.*

Difficilia quæ pulchra; nihilque eximium ſine magno labore Vita dedit mortalibus; nec ſine periculo facinus ullum factum memorabile: adeò Pulchritudinis comes eſt obtinendi difficultas. Pulcherrima itaque artium Medicina, quippe difficillima. Mithræ ſacris initiandi octoginta experimentis patientiæ in virtutem tentabantur, ut Magi prodirent; Ut Medicus evadas mille ærumnabilia ſubeunda ſunt diſcrimina: ad ignis, ad aëris, ad telluris undæque myſteria, in artis fructum, penetrare contendas, millies ubique periclitari eſt neceſſum. Neque Vulcanus in Deorum, Achillisve armis fabricandis tantos flammarum ſenſit ardores aut æſtus, quantos, qui per ignem Philoſophos agunt, Chymici in nobilioribus medicamentis excoquendis. Magnaq; Dædali fuerint molimina, ut aërem ceratis pennis obſequentem, velisque ventos redderet opportunos; non minores ſunt conatus, quibus Medicorum Filii Junonem Æolumque, vel nolentes, in corporis humani ſalutem conſpirare cogunt. Certant cum Faunis & Sylvanis, per campos, per ſaltus, per nemora, vaga Botanicorum ſtudia, ne quid intactum, ne quid inexpertum relinquant. Necdum ſatis eſt difficultatum, quibuscum Medicina ſuos Cultores committit: Adeunda & Plutonis regna, ex duriſſimis terræ interaneis eruenda metalla, in humani generis incolumitatem & valetudinis reparationem impendenda. Neque Cerberus fervida abſterret ingenia, furiale centum muniant angues caput, Spiritusque teter, ſaniesque manet ore trilingui; Ipſos ſerpentes ſtygiosque liquores ſedulò exquirunt, ut inimiciſſima in Sanitatis præſidium diſponere addiſcant. Quid flumina, quid maria memorem? quicquid in Neptuni regnis latet abditum, ad Medicinæ ſervitium indefeſſi ſcrutatores ex abyſſo adducunt. Quanti eſt hominem noviſſe? In quo cognoſcendo Summa Anatomicorum ingenia etiamnum fatigantur. Quanti eſt, mille modos lethi in morbidorum cadaveribus detexiſſe? Sed multitudinem difficultatum non capit hæc charta; paucis; quà patet Orbis, quæ ardua, quæ aſpera, quæ horrida, quæ formidabilia, hæc omnia ſtrenuo artis alumno adeunda pericula. Tantæ molis quum ſit medicam condere ſcientiam, quodnam faſcinum eſt, quo Seplaſiarius, hiſtrio, tonſor, anus, eâdem facilitate medicinam ubivis gentium venditant & exercent? quibus ut Medici ſint, ſufficit eſſe voluiſſe. Vel malus Sutor, inopiâ deperditus, famam Medici verboſis Strophis ſibi acquirit illicò. Stupor hic eſt Vulgi, cujus ſtultitia quæſtus eſt impudentiæ & imprudentiæ. Optimè Rex apud Phœdrum: *Quantæ putatis eſſe Vos dementiæ*
*Qui capita Veſtra non dubitatis credere,*
*Cui calceandos nemo commiſit pedes:*
addamus; Cui dolium ligandum, Cui veſtes lavandas, Cui barbam radendam, Cui latrinam (ſit venia verbo) purgandam commiſit nemo. Omnes iſtos, famam medicinâ aliquâ aucupatos, vel iſti qui ſupra vulgus ſapere volunt, animas ſuas negotiari facilè ſinunt. Sed ferat Vulgus dementiæ pretium, nominis Medici gloriæ non officiet, quod iſtud indigniſſimis impertiatur; non magis, quàm ſi clara Herculis aut Alexandri nomina flagitiis gentis humanæ, Sardanapalis ac Heliogabalis imponantur. Aliarumq; Artium eadem ſunt fata, ut in ipſis conditione inſidioſiſſimâ, auctoritatem peſſimis boni faciant. Æqui rerum Arbitri ſatis perſpiciunt, quot adire labores Artis filios oporteat; Neque ipſis ſegnibus eſſe aut otioſis licebit unquam, ſi optatam metam contingere amant. Id quod etiam cordi fuit Bigæ Virorum Nobiliſſimorum & Clariſſimorum DN. CHRISTIANO FRIDERICO KROKISIO, Straleſundâ-Pomerano, Phyſico Mariæburgi, Urbis rerum ab Ordine Teutonico geſtarum famâ notiſſimæ; & DN. CAROLO JACOBO Röſer/ Quedlinburgo Saxoni, per plura luſtra ſedulo Muſarum ſectatori. Benè hi educati & educti à teneris, facem Vitâ Parentum præferente, quos Sacri Ordinis in Patria Præſules ſors utrique eſt elargita, nullis laborum moleſtiis exterriti, nullis lucubrationum tædiis exhauſti, non per fraudum ac lenociniorum machinamenta, ſed per Virtutis & Induſtriæ merita ad faſtigium Artis evecti Templum Honoris demum ſalutare decreverunt. Quibus Modeſtiæ decoris Facultas Medica impulſa, Ipſos ſpe ſuâ excidere noluit, dignosque habuit, quibus ad petendos, tentatis, moxque, per horas pluſculas utriusque diei, examinum rigore, in Theoria & Praxi, approbatis profectibus ad impetrandos honores pateret aditus. Lectionibus itaque de Capitis Affectibus à DN. KROKISIO, ac de Phantaſia morborum cauſa & medicina à DN. Röſer formatis, Statâque horâ, per tres dies, præſentibus Magnificis Dominis PRORECTORIBUS, Excellentiſſimisque Dominis Profeſſoribus, cum ſpectatiſſimâ Studioſorum coronâ, recitatis, Illuſtris Auditorii ſuffragia promeriti, denuò in publicum producendi veniunt, ut conſtet, Ipſos non ſibi ſolis domi ex libris ſapere, ſed & inſtructos eſſe, qui ægrotorum & adſtantium dubia ſolvere, Medicaſtrorumque Sophiſmata refellere valeant, ut illibatam artis gloriam tutentur. In fidem hujus ſuæ peritiæ DN. KROKISIUS de Cephalalgia habituali cum Vertigine; DN. Röſer de Epiphora argumentum DISPUTATIONE INAUGURALI ventilandum offerent: Dies huic Agoni deſtinati erunt XVI. & XVIII. Octobris, horis ante & pomeridianis in Auditorio Majori. Celebrato Agone poſterioris diei XVIII. ambobus, quos probitas & induſtria meruit, Summi Artis Medicæ Honores deferentur, auſpicioque auſpicatiſſimo MAGNIFICENTISSIMI RECTORIS, SERENISSIMI & EXCELSISSIMI PRINCIPIS ac DOMINI DN. FRIDERICI WILHELMI, Regni Pruſſiæ & Electoratus, Provinciarumque Brandenburgicarum Hæredis, vi gratioſiſſimi Privilegii quod AUGUSTISSIMUS ac SERENISSIMUS REX NOSTER Facultati indulſit, à me, ad hunc actum conſtituto PROMOTORE, DOCTORES MEDICINÆ proclamabuntur. Sed enim Victoria amat teſtes; Id quod Magnificum DN. PRO-RECTOREM, Ampliſſimum Academiæ Senatum, Facultatumque omnium Profeſſores & Doctores, Literarumque Fautores ſuis nominibus honoratiſſimos, ſolicito, atque humaniſſimè invito, iſtis Certaminum Inauguralium ſolennitatibus Auditores benevoli adeſſe, Actumque Promotionis ſuâ præſentia exornare non graventur.

P. P. REGIOMONTI DOMINICA XIX. TRINIT. AN. MDCCIII.

PRÆLO REUSNERIANO.


Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-221625-p0009-5